Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1911
Quelle:
Copyright:

marum. Et ideo usque ad id tempus reseruabo dicturus iam solum de illo verbo thematis quod in fine eius ponitur scilicet. Benedictus qui venit in nomine domini &c. Dom. I. Adv. hodie, ut notum, legitur Evangelium *Luc.* c. 21. *Erunt signa in sole* &c. et Dom. Palmarum Evangelium *Matth.* 21. *Cum appropinquasset Jesus* &c. At inspecto Missali *Pataviensi*, quod jussu *Christophori* Ep. impressit *Johannes Petri* 1491. f. re ipsa inveni, in illa Ecclesia lectum fuisse bis ingressum Servatoris in *Jerusalem*, Dom. quidem Adv. ex *Matthaeo*, Dom. vero Palmar. ex *Marco*. Sed, ut ad Codicem redeam Sermones de reliquis Adventus Dominicis extra ordinem quaerendi sunt sub finem *fol.* 231. Alii rite procedunt, et de sola Passione Domini *octo* numerantur. Ultimus est de *Dom. XXV. post. Pentec.* Postremis *foll.* adscripta sunt brevia Excerpta e *Rationali Guil. Durandi*, et Nomina celebrium Theologorum, inter quos tamen etiam *Abbatem Joachim*, et *Gregorium de Argent.* pro *Arimino* legas.

Ad vestiendum interne utrinque Codicem immolatus est Liber Precum hebraicus eleganter scriptus et punctatus, cujus prior membrana incipit: וְלָנוּ בוֹשֶׁת לְךָ יְהוָה הַצְּדָקָה הַפָּנִים

DCCCI.

U. 724 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 204. f. per duas columnas non una manu perscriptus, et rubro distinctus continet I. Sermones prolixos VII. *De Ascensione Domini*, *Eucharistia*, *Conceptione*, *Annuntiatione*, *Nativitate*, *Assumptione* et *Purificatione B. V. Mariae.* Ad calcem Sermonis I. legas: *Sermo Anno Domini M° CCC° nonagesimo nono Scriptus Est per nicolaum de grotkaw feria secunda in 8 Epdomada animarum post festum sancti Michaelis.* Pertinent omnes hi Sermones ad *Henricum* nostrum *de Hassia*, relatique sunt *Vol.* I. ut Index docet, et a *Bern. Pezio Dissert. Isag.* in T. I. *Thes. Anecd.* a p. 77. e variis Codicibus excitati.

II. *fol.* 88. *Johannis constantinopolitani episcopi Sermo leonis episcopi cum de eius expulsione ageretur.* Non facilie dicas, unde *Leonem* huc accersiverit Librarius. Sermo *Chrysostomi* est: *Multi quidem fluctus et vnde immanes* &c. a me productus *Vol.* I. P. 1. *col.* 663. et P. 3. *col.* 3221. Subscriptum: *Explicit Sermo de expulsione Episcopi cum ageretur de ea &c. feria 6ª ante diem festum sancti andree apostoli per nicolay manus de Grotkaw.*

III. *fol.* 97. Commentarius in *Cantica Salomonis.* Incipit ἀνεπιγραφως: *Donum sapientie cum salomone poscere* &c. Igitur est *Honorii Augustodun.* ut extat cum gemino Prologo in *Bibl. PP. Lugd.* T. XX. p. 1153. et a me refertur pluries *Vol.* utroque. Exemplum hoc integerrimum comitatur Τρισχον:

Solus